

priusquam gratia diuina conuersus, et illuminatus fuerit, non solum magnum ceperit, delectamentum quoties sibi licitum fuerit, Christianos persequi, ligare, et morti tradere: sed et maxime laetatus fuerit, quum STEPHANI, illius MARTYRIS innocentissimi sanguis effunderetur. In apologia enim sua, quam indultu Centurionis Romani ad populum suum lingua patria habebat, sequentem in modum uerba facit: h) Κυριε αυτοι επισανται οτι εγω ημην φυλακιζων και δερων κατα τας συναγωγας τας πισευοντας επι σε· και οτε εξεχειτο το αιμα στεφανου τσ μαρτυρος σου, και αυτος ημην εφεσως, και συνευδοκων τη αναμρσει αυτη, και φυλασσων τα ιματια των αναμρτων αυτον.

Quum igitur TESTES *uestibus exuti*, et ad hoc factum aptiores redditi essent, alter REVM de loco edito supplicii deiciebat, alter uero lapidem primum more apud Iudaeos recepto in STEPHANVM proiiciebat, id quod LVCAS his uerbis testatur: i) και ελιθοβολων τον στεφανον. Et haec adhibita TESTIVM opera in supplicio, quod subire MARTYR damnatus erat, nobis euidentissimo testimonio est, quod STEPHANVS, non more antiquorum Zelotarum, pro gloria IEHOVAE pugnantium, uti quibusdam uisum est, a plebe tumultuante; sed e SENTENTIA CONDEMNATORIA a *Synedrío magno* pronunciata LAPIDIBVS obrutus sit. Qua tamen in re in diuersas abit partes *celeberrimus* HEVMANNVS, k) una cum
LIGHT-

h) Actorum Cap. XXII. uersu 19. et 20.

i) Actorum Cap. VII. u. 60.

k) Quod Iudaei post CHRISTVM natum nullis gauisi fuerint iudiciis capitalibus D. HEVMANNVS in der Erklärung des neuen Testaments über das siebende Capitel in der Apostelgeschichte, und dessen 56. Verse, auf der 304. Seite ita scribit: Wir sehen hieraus, daß diese Steinigung nicht nach einem ordens-